16 ¶ Et circa Euchariſtiã Parochus debet ſcire formam huius Sacramenti, locum, tempus, & veſteſ requiſitas ad conficiendum hoc Sacramentum. Item qualitatem recipientis, & adminiſtrantis tam in corpore, ſcilicet ꝙ ſit ieiunus ieiunio naturę,niſi quãdo hoc Sacramentũ datur infirmis, q̃; etiam in anima vt de omni peccato mortali contritus ſit. Et ſi adeſt copia Confeſſoris,ꝙ neceſſario ſub peccato mortali debet illud confiteri. Vnde dicit Scotus in.4. d.9. ante. B. & lit. C. ꝙ recipiens iſtud Sacramentum tenetur ſe examinare ſecundum diligentiam noſtrę fragilitati poſsibilem, antequam communicet,quia ſi eſt negligentia affectata vel craſſa propter quam non recolit peccatum ſcilicet mortale non excuſatur à peccato,iuxta illud.1. Co.11. Probet autem ſe ipſum homo.&c. Si autem non ſit negligentia craſſa,putâ quia pręceſſit examinatio ſufficiens.& nullum occurrit peccatum, de quo non fuerit,vel ſit cõtritus & confeſſus prius : non peccat communicãdo, icet fortê aliquid lateat,vel traditũ fuerit obliuioni. Et infra. Diligenti inquiſitione facta ſecundum poſsibilitatem noſtrę fragilitatis,& pręmiſſa Contritione, & confeſ-

ſione